



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. De peccatis Agricolarum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

mini sint: five locatarij & Emphyteutici: five partiarij: hæ sunt: ut ab alienis agris, qui ad eos nullomodo pertinent, abstineãt: Decimas persolvant. Hæc autem inter omnes illos est distinctio, quod agricolæ, qui simul agrorum Domini sunt, liberam habeant de suis agris dispositionem, five ut colantur, five ut à cultura cessent, five ut hoc vel illo semine seminentur, five ut his vel alijs modis excolantur: Agricolæ vero locatarij tenentur legibus locationis, five de quibus in locatione conventum est: & eodem modo partiarij tenentur, conditionibus five legibus quibus cum Domino proprio convenerunt: qui autem solum operas suas mercede locant, ab arbitrio Domini Principalis in omnibus pendent.

Articulus Secundus.

De peccatis Agricolarum.

1. **P**Eccant si ex agris ad se pro tempore non pertinentibus fructus accipiant.
2. Si, ut plus terræ occupent, terminos agrorum suorum excedant, & in alienos agros

agros transferant. Hi peccant mortaliter tenenturque ad restitutionem.

3. Peccant si permittant sua animalia in alienis agris pascere.

4. Si sua incuria alienis agris damna inferunt, illaque compensare non student.

5. Peccare convincuntur locatarij, qui Agrorum conservandorum curam habent, & permittunt illos delabi in sterilitates, in damnum proprietariorum.

6. Peccant qui leges in locatione positas non servant, sed ijs contrarium agunt.

7. Partiarj juxta rationem materiæ peccant, qui suos patronos defraudant, non restituentes partem integram fructuum, de qua conventum est, vel non nisi ex peioribus.

8. Quamvis proprietarii agrorum, vix in ipsa agrorum cultura peccare possint, non raro tamen in venditione sive distractione fructuum peccant, nimirum vendendo fructus excessivo pretio, vel diminutis mensuris, vel fruges vitiatas pro bonis, vel commutando grana tempore quo vili pretio comparantur, ut altero tempore sum-

mum & excessivum pretium, vel in ampliori mensura recipiant.

9. Peccant Agricolaë juxta qualitatem materiae mortaliter: qui decimas negant, aut quovis modo injuste defraudant, nisi privilegio aliquo ab illis solvendis liberi sint.

10. Peccant peccato gravi inhumanitatis villici, qui pauperes tempore messis à suis agris & messoribus abigunt.

11. Alia quaedam sunt peccata, quae etsi Agricolis non sint propria, apud illos tamen valde frequentia sunt. Ut observationes vanæ æeris, volucrum, superstitiones in feminibus jactandis, in animalibus conservandis à lupis, sanandis ab infirmitatibus, & id genus alia: In hoc enim sæculum devenimus, quod Agricultura, quae de se innocentissima erat, humana malitia, in peccatorum quandam voraginem delapsa videatur.

TITV-